

3144 20.
QVOD DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS

INQVE SUI NOMINIS GLORIAM
INQVE EMOLUMENTUM PROXIMI

AUSPICATO FIERI VELIT!

IRENÆUS VEHR,

MEDIC. DOCT. ET P.P.

ORDINARIUS,

H. T.

FACULTATIS SUÆ DECANUS

ANATOMEN

IN

NOBILIORIS SEXUS SUBJECTO

PUBLICE ADORNATURUS

QVOTQVOT

TURPISSIMAM SUI IGNORANTIAM ESSE
PUTANT.

AD

DEMONSTRATIONES

ADMIRANDARUM PARTIUM

QVIBUS INITIUM DABIT DIE XXI, DECEMBRIS

HORA POMERIDIANA *Ima.*

Perofficiose pariter ac peramicè

INVITAT.



FRANCOFURTI, ANNO M. DC. LXXVII.

Typis Hæredum JOHANNIS ERNESTI, Acad. Typogr.

Anat.

A.

8,32

Disj anat. 75.

QVOD DEVS TER OPTIMVS MAXIMVS

IN VTE SUI NOMINIS GLORIAM
IN OVE PROMOVEMENTI PROXIMI

AVSPICATO FIRMI VELIT

IRENEVS VEH,
MEDIC DOCT. ET P. P.

Tessera Anatomica

Ex

August. 1. 2. soliloq. C. 1.

**DEUS semper idem,
Noverim Te!**

Noverim Me!

TURPISIMAM SUI IGNORANTIAM ESSE
PUTANT.

AD

DEMONSTRATIONES

ADMIRANDARUM PARTIUM

QUIBUS VITAM DEDIT DIE XXI DECEMBRIS
MCM FOMERIDIANI ANNO

Ex officio patris ac parentis

INVITAT.

Typographus JOHANNES ERNESTI, Acad. Typogr.
PALNCOBURGI, ANNO M. DC. LXXXV.

L. S.

Romam vidisse & Tarpejas illas Arces; Venetias, & ista, quæ ex mediis sese efferunt Hadriaticis undis, superba Palatia; Vel, si quæ alia in Orbe splendidior Urbs est, in eâ substitisse aliquandiu; & si quod in urbe Structuræ genus famâ scriptisque celebratum, illud inspexisse diligentius; ac si quid in Structurâ elegans, eximium & admirabile, id observasse curatius; nemo est, etiamsi paulò hebetior, qui non in felicitatis, imò laudis quâdam parte ponat. Nec immerito: Quando & Ithacum jam pridem Ulysssem hoc nomine Homerus commendatum dedit, quod

Multorum mores hominum lustrarat & Urbes.

Sunt tamen Urbes, ad Romam usque omnes, quantocunq; sese ostentent ornatu, Hominum opera: Et quicquid passim famosarum occurrit machinarum, manibus debetur mortalibus; sique quispiam in illis nitor, si quæ *σύνταξις* admirationem ciens, ab Arte sunt, illâ Naturæ Simiâ; quam ausibus quidem ingentibus, sed non æquis semper successibus imitatur. Est vero in omni admodum Orbis angulo, Numinis ipsius sapientissimi nutu, amplissima rerum multiformium copia; sunt ab Omnipotenti efformata manu, *perfectissima plane & consummatissima pulchritudinis corpora*; Extant à Naturâ Polydædalâ, & omnia Artis molliuina longissime supergressâ elaboratissimæ mundi species hinc inde ubertim dispositæ: In quibus observandis, perspiciendis, examinandis, industriæ aliquid & gnavæ posuisse operæ, tantò fortassis majore merito, felicitati sibi quis laudique duxerit, quanto ampliore intervallo divina humanis, absoluta imperfectis, Naturalia Artificialibus succedunt ubique. Nec tamen hoc vulgò creditur, neque sic est persuasum omnibus etiam ultra plebem aliquid sapientibus. Tantum abest, ut in felicitate reputare nonnulli sustineant, utilitate non minus quam jucunditate gratam, Rerum, quæ prostant, Naturalium contemplationem; ut contemptim potius habeant quicquid est hujus studii, sentiantque non tantum, sed & loquantur pariter de ingeniis, quibus curâ res isthæc est, aliquantò, quam negotia alia, majore. Audiunt in primis ANATOMICI apud aliquos malè; nempe qui circa curiosam Corporis animalis dissectionem satagunt; omnia sua studia, omnemque operam in hoc uno locantes, ut docto Cultri usu, Naturæ arcana, sub cutaneis recondita involucris, in abdominis, pectoris atque capitis occultata sacrariis, sensibus recludant fidelibus. Nimirum hi sunt, quorum enchirises, non crudelitatis tantum sed & sorditiei insimulant, laniæ comparant, imò fœdissimæ illi operæ, quæ in glubitores cadit & morticinorum tribunos. Ipsi non tacito saltem cogitationis convitio verberantur, sed & acerbis palam exagitantur dicteriis, ac manifestis, quæ referre piget, scommatibus. Id quod non aliàs magis quam tunc experiuntur, cum humano manus admovent corpusculo, inque anquirendâ

perfectissimæ hujus machinæ constitutione cautè non minus ac sollicitè occupantur. Tum enim industriæ eorum non crudelitatis tantum & spurcitiei dicam scribi, sed & impietatis illam alligari, atque alienum denique ab omni usu totum hoc æstimari negotium advertas. Neque desunt Colores, quibus fucum factura simplicioribus se pingat Calumnia. Scilicet, istamne ait, placere sibi quis patiatur operam, quæ non divinis modo mandatis, sed & honestis moratorum populorum Legibus moribusq; contraire audacter, deprehenditur? Ecce! enim memorabile DEI interdictum, quo Cadaveris humani contactu Eberinam abstinere gentem jussit; non frustra, ut facile conjeceris, nec sine causa. Et Romanos illos Gentium Dominos aspice, apud quos nec Vespillonibus aliquandò, nec baruspibus, (humanis, cum Medicinam facerent, interaneis inbiantibus) diversorium erat, quod extra humana intueri nefas, imò morticina tractare horrendum, judicarent. Audi quin etiam Bonifacium Octavum, Pontificem Maximum, fulmine Excommunicationis persequentem, quicumq; detestanda feritatis abusu Corpora defunctorum exenterant, & immaniter decoquunt, Ossaq; tegumento carnis excutiunt. Quibus interim nihil moti Antbropotomi, facinus audent vel ipsis Pelopideis & Canibalis execrandum; inq; divinum illud animal, animal plenum rationis & consilii, Regem & caput animantium; Ornamentum Universi, Universi quin imò ornatissimam Epitomen & σμικρόν κόσμον, Horizontem illum Æternitatis ac temporis, DEI tatis speculum, DEI simulacrum vivumq; Ejdolon; verbo, in Hominem, sacram rem! In hominem, quòcum speciem sanguinis communem & ab eodem fonte habent; In illum inquam & scalpris involant & uncis, ferrisq; & terebris & nescio quibus crudelitatis instrumentis: tam ipsum discerpentes miserè, tam fœdè dilacerantes, ut seriò dubites, hominisve sit, an belluæ cujusvis, à corvis dirvulsum & ambesum cadaver. Non pudet homines, mitissimum alias, (ut est apud Senecam) genus, gaudere lævionâ proximi sui, eundemq; memoratum avolante, avulsam viscum, quæ te gesta perprobe. Quod istud, Dii boni! negotium est? discindere, diffringere corpora pulcherrima, delectari intuitu rorantium cruore viscerum, & quæ abstrusa voluit non cæco Natura decreto, detegere omnibus, temere producere, & sine fronte nudare? Quæ alia vita esset, si Leones Ursiq; regnarent, si vulturibus in homines, ac noxissimo cuiq; animali daretur potestas? Illa rationis expertia & immanitatis crimine à nobis damnata, abstinent plerumq; cadaveribus sui generis, & tuta etiam inter feras similitudo est. Namq;, quod ex Æliano discas, proprium hoc est animantibus brutis, ut gentilia sibi & cognata, postquam extincta fuerint, mox è conspectu amoveant; sicut & Formicarum, is ipse Autor, Hirundinumq; consuetudine, Apum more Plinius, Elephantorum exemplo alii confirmant. Apud homines tantum, nec à fidei sibi temperat consortibus Anatomicorum acies; estq; adeò perversa tristissimi actus libido, ut parum putent sepultura bonore corpus humanum spoliasse, nisi in publicam quoq; scenam prodixerint, tot ludibrium debiturum Oculis, nisi in sceleton tandem spernentia vim cultrorum, ossa compingant, quo sit diuturnior crudelitatis memoria. Atq;, ut nihil hoc sit, nec quisquam injuriam fieri existimet mortuis, quos viventium in commoda omnibus semper modis trahi fas sit; attamen quis usus theatra istiusmodi carnificina? quæ non potest non fastidii & laboris exhibere plurimum cultoribus suis: occurrentibus tot undiq; excrementitiis succis, tot fœdis vaporibus, tot putridis ingratiss, olentibus effluviis. Errant quicumq; tanti putant in comperto habere positus, situs, connexiones, conformationes, magnitudines, & quæ sunt similia talibus alia, corporearum partium (qui unus tam radiosi laboris fructus promittitur)

ut

ut Medicina sine istâ scientiâ, neq; fiat ritè, neq; floreat. Nam & Paracelsus jam dudum vanitatem hypotheseos docuit, Vitalem præ Locali Anatomem urgens; & cordatè nuper Helmontius testatus est: post mille annorum Anatomem vix modernos aut meliùs morbos agnoscere aut feliciùs subigere; saltim alto sic supercilio Mundo imponi. Concedatur vero etiam isti subesse pondus supposito, si hæc se viâ in notitiam partium penetrare quis posse autumat, tamen errat. In cadavere enim, (ut jamtum à Dornæo quasitum est,) quid præter Mortem quarimus? Cum possit facilè quis persuadere sibi, maximam in agone ipsaq; morte mutationem, nulli non membro, maximè interno, contingentem. Videas enim inviolatis adhuc corporibus hominum, ut dolore illa, terrore, irâ, metu, ac mediocribus interdum affectibus aliis evidenter mutantur: Neq; simile multò magis vero sit, in istis ipsa, quas fatalis hora affert anxietatibus, in istâ Anima Corporisq; acerbissimâ diresi, & Ποσειδῶν Ποσειδάων divortio, insigniter immutari. Transcant infiniti casus, sive militum in acie, sive Viatorum à Latronibus, sive aliorum, alio fato, sic vulneratorum, ut interanea visui exponantur; quibus, si quid est, quod nosse refert, partium, discere inter Curationes per misericordiam possint Medici, quod dirâ quarunt crudelitate Anatomici. Transcant Libri postremò & Pictura; quos plurimos hæc ætas & absolutissimos curâ prædecessorum, Proseccionis olim operâ occupatissimorum, accepit: Ut vel hodiè comprimere manus & sinem imponere fœditati fas foret; Ut abstinere demum liceret abominabili exercitio, inque isto pristina crudelitatis fructu (si fructus est, quo nemo fruitur) acquiescere. Speciosè quidem omnia & satis libere.

Sed pace vestrà dicam, quicumque alieno estis animo ab accuratiori Rerum, quæ Natura Prima conda profert, indagine, neque non abjectè de iis sentire sustinetis, quotquot in investigandis illis suæ neque arcule parant, neque opera: Non est sine deliquio iudicii Vestrum Judicium. Quod ego si pluribus h. l. evincere instituum, vereor ne argumentorum multitudine obrutus in immensum abripiar. Attamen, si Exemplis (quod est in proverbio) moveri contingit faciliùs, Ecce! denso stant adversus Vos agmine, tot benè nata ingenia, tot eximia capita, tot Illustria Collegia: Quibus non alia ab omni ævo dignior res potiorque visa est, cui operam impenderent oleumque, Naturalibus; Quibus non alii magis in æstimo & dignatione habiti, quam Physioscopi. Possem ab Alphâ illo Hominum, ab ipso, inquam, humani generis Parente ordiri, quem in beatâ illa innocentia conditione has illicò sibi sumpsisse partes accepimus. Possem Patriarcharum in hoc studii genere industriam non unâ probabilitate docere. Davidis quin etiam Regis meminisse liceret quem jucundâ superioris mundi excussione non leviter affectum, vel ex Psal. 19. discas. At verò quem sapientissimum inter mortales Sol aspexit, ille tot gentium Imperator Salomon quod hisce in primis impediri voluerit occupationibus, manifesto nec falso constat sacrarum Pandectarum testimonio. Non minus Alexandri M. amplissima toto Orbe prædicatur Magnificentia, qua prosecutus est ille Stagyritæ indefesos in texendâ Animalium Historia conatus. Meretur hoc etiam observationem, quod excellentissimos quosque Virorum inter Ethnicos, quique Sophorum sese titulo Æternitati commendarunt: Quod priscos item Ecclesiæ Doctores penè omnes non alia magis Philosophiæ portio tenuerit occupatos. Estque quod gratâ agnoscamus mente, hodiernum selectissima quæque ingenia, arcano scientiæ Naturalis irritamento agitata, non tantum per se, rimandis pariter & mirandis divinae Omnipotentia simulacris, plurimam

quam possunt fugientis vitæ partem impendere; sed & nunquam laudando
satis instituto, in societatem præstantissimi laboris, sub nutu niçtuque Maxi-
morum Principum gratiosissimo, cum aliis conspirare. Ut in gloriam actuo-
si hujus seculi, non sine publicæ salutis augmento, florere videamus, (ne alia
atingam,) sub Invictissimo quidem Cæsare nostro, in S. Romano Imperio In-
clytum Naturæ Curiosorum Collegium; sub Potentissimo verò Angliæ Mo-
deratore, Illustrissimam Societatem Regiam. Adeò quo quisque sagacior
& ingenio pollentior, eò ad contemplandas Naturæ dotes, proclivior semper,
promptior, excitator, comparuit. Ad vertentibus videlicet omnibus (quod
nonnemo scitè dixit) scrutinio rerum Naturalium tum mentem nostram su-
pra humanam quodammodò fortem evehi, tum perpetuo quodam volupta-
tis sensu intimè perfundi, tum ad penitissima omnium aliarum Disciplina-
rum mysteria, ad quæ sine hoc nullus patet aditus, patentissimam januam
aperiri. Jam vero Vos, quibus sollicitior tantopere *σωματικωπία*, quæ per
Anatomen procedit, displicet. Vos præcipuè, qui tantum non infamiam du-
citis, si quis liberiùs contrectarit, aut scrupulosiùs dissecuerit humanas exuvias:
An succensere poteritis apertè vobis & citra palpum dicenti, quod Errorem
erretis crassissimum. Etenim sic est profectò; ut ostendam: vindicaturus
unâ operâ à calumniis *θεοπρογενήν ἐπισήμην*, quâ nihil aut consultius Naturæ,
aut humanæ valetudini utilius excogitari potuit. Nec verò diffundere hoc
me sine paro in laudes Zoologiæ, ab aliis jam satis meritissimo suo decantatis-
simæ: Neque etiam urgere fert animus turpissimam sui Ignorantiam,
postquam jam pridem inter eos, quibus

de meliore luto finxit præcordia Titan,
bona Sapientiæ pars habita est, semet nosse velle. Quin potius præsupposi-
tis istis, *hoc potissimum affero* quod à Pergameno nostro etiam inter Paga-
nismi tenebras, deprehensum, agnitum, inculcatum est: Non sacrificiis adeò
gratiam apud DEUM, non hymnis iniri dulcisonis, quam speculatione Corpo-
ris Humani. Ut *Impietatis* illico crimen amoliri liceat ab artificio *Antrop Ana-
tomes* nobilissimo, quod Vos, ô Boni! nescio quâ fronte, objicitis; nullo argu-
mento evincitis. Quotus enim quisque est, cui non abundè constet? quod Ce-
remonialibus veniat accensenda Legibus, hodièq; nos non obstringentibus,
quam Vos, Hebræis olim dictam, in calumniam innocentissimæ Artis torquetis.
Et Romanos olim, sublatis qui haruspicum culpâ contigerant abusibus, tum
civitate donasse Medicos, tum humanorum etiam dissectiones Cadaverum
minimè improbasse adeò non ignoramus: docti Historiarum monumentis,
quod & Boëthius aliquando & P. Sergius (seu ut alii legunt Severus)
Consules ipsi & Primores Romulæ gentis, Galeno nostro publicè olim in
Urbe Urbium *ἀνατομίστου* adstiterint; pariterque ab ipso Galeno eruditi,
quod pugnantes contra Antonium barbaros milites Romani quondam Me-
dici dissecuerint. Ceterum Bonifacius, (quem producere Vobis volupe est,)
Octavus quod in alium longè scopum, quàm doctæ Anatomes exilium, ful-
mine Excommunicationis collimaverit, quàm est ex ipsa Pontificali constitu-
tione nimis quam evidens! Sic nihil omnino commercii Anatomicis cum
impietate. Cum pietate multum: quam & Parentem Prosectricis Artis, &
Sobolem itidem ejus, *Ἐγδοξως* dixero. Alibi demonstravero; properante
nunc calamo ad expungendam, *Crudelitatis* notam, quæ eidem impingitur.
Quo nomine quæso, aut quo merito ejus? Non alio utique, quam quo
Statuario alicui aut Scriniario illam inusseritis quando vel in Lapides ille vel
Ligna

Ligna dolabellas suas, ascias, & quæ sunt alia ipsi instrumenta immittit. Quid enim est, in quod aciem suam convertunt Anatomici? quodque in Theatra hodiè trahi videtis, quidnam est? Homo? absit! & factum id fuerit aliquando ab Ethnicis, ut vivorum sese Sectione temerè conspurcaverint: Quod Christiani hodiè profectores sub cultrum sustinent vocare suum, tantum abest ut homo sit, ut sit, (secundum Trismegisti verba,) ergastulum solummodò, interitusque vinculum, mera mors, sepulchrum ductile, locuples putredo, atque terræ non utile pondus. Nempe vita, sensu, animo orbatum, vile corpusculum, mox præbiturum escam & delicias vermibus, mox in saniem tabumque diffluxurum in mensas venit manusque nostrorum; Hoc sine vero si non sine reverentiâ quis & obsequioso Sapientissimi Creatoris cultu dissecet, periculi quicquam, habeat aut enormis sævitia? Fuit tamen, instabitis, aliquid hominis & sanctiùs tractari merebatur? Fuit vero; nunc non est; Neque sive hominem seces vitâ functum, sive bovem aut canem quicquam interest; Cadaver solummodò secas. Cui cum Vos Anatomicomastyges, tribuere temerè non dubitatis, quæcunque in laudem humani generis passim à sapientioribus dicta, scripta sunt; quis non Ecclipsin advertat rationis insignem, iudicii que vix præsumendam hebetudinem? In quâ quidem prolixius demonstrandâ, eximendâq; ulterius à suspitione Crudelitatis Anatome, vel ideò nunc non occupor, quod *Usus* ostendere potius credam; quem tantæ vos operæ tam levem facitis, imò nullum: Nullo applausu. Ut taceam enim (quando aliorum jam satis hæc constat industriâ) publicam, quæ in omnes ex Sui; hincque DEI notitiâ, quas parit Anatome, redundat utilitatem; qui privatim inde in filios Medicorum venit, clarior hodiè & certior fructus est, quàm ut negari possit; major, quam ut paucis exponi. Exponam tamen quodammodo verbis Amici. verbis emphaticis. sic habentibus. *Quod sine Sole dies, sine gubernatore navigium, sine sanguine Corpus nostrum s. humanum: Id Medicina sine Anatome est. Sine Sole Dies, Umbra est, Nox est. Navis gubernatore destituta errat fluctuatq;. Ex sanguine corpus cadaver est, mortis simulacrum est. Pari modo Medicina sine Sole veritatis Anatomica, sine Duce Experientiâ Anatomica, sine anima quasi & dubia est, imò nulla est. Istæ enim dissectionis Lux, ceu Natura Dux, ex innumeris errorum Medicorum Syrtibus in tranquillissimum veritatis & securitatis, nos medendi scientiæ deditos, ducit portum, ut navigii instar felicissimè in mediis morborum fluctibus meare ac permeare queamus. Hòc vero Duce destituti, in foro Medico hospites sunt, velutq; navigium obrutum fluctibus titubant, timidi in tutis, in periculis sepè securi. Eiusdemq; Veritate & certitudine Medicina reliquas inter ita caput extollit Artes, ut ab Hippocrate Τεχνῶν πλοῦτων Ἰηφανεστάτη, maxime omnium Illustris Clarissimæq; habeatur, Conjecturalisq; adeò amplius esse nolit. Quæ si Vos Paracelsi alicujus, aut Helmontij, Dorreive effato fidem censetis contrahere dubiam, næ ignoratis, quid animi autoribus istis, quis genius fuerit? Quos nimio plerumque in Artem (quamvis ipsam insignem) Spagyricam affectu abreptos, alto ferè despexisse supercilio reliquas notissimum est. Nec minus illud, nescio quo vobis modo incognitum; quod non omnia illicò in corpore Mons, etsi multa mutet; Nec non servari contingat in ipso illo animi corporisque discidio per plurima eorum, quæ nosse operæ pretium putant Morborum, quos Plinius vocat, Artifices. Aptissimè in eam rem Celsus: Incidere, ait, Vivorum corpora & crudele & supervacuum; mortuorum, discantibus necessarium: Nam positum & ordinem nosse decet, quæ cadavera meliùs, quam*

vivus

vivus & vulneratus homo repræsentat. Dicit: *Discantibus*. Addo: Et Docentibus; Ut subinde confirmant aperta, recludant operta, inveniant nova. Siquidem is est Naturæ hætenus observatus mos, ut arcana sua manu spargat, non toto, quod dicitur, thylaco. Servat semper aliquid posteris, neq; in unum omnia ævum effundere consuevit. Unde æstimatu simul perfacile est, quantum sit in *Εικωνική* illa Anatomie subsidii; quantique prodire possint *ἐκ βιβλοῖς λιετρομικροῖς ὑγυας κυβερνήται*: Ut alia hoc sine afferri non opus sit; qualia tamen, qui volet, apud Cl. Rollincium, in *anatomia*, videbit. Pariterque quæ dicenda hoc loco pluribus erant s. in fortuitam illam Anatomiam *Θεαυμασίαν*, quæ κατὰ περίπρωσι olim audiebat; sive contra cõmunissimum illud, quod spurcitiem Dissectionum tantoperè urget, convitium. Liceat enim ad nostrum hunc a vi Galenum provocare nobis, quando quod superest, pagellarum exiguum, id agere nunc denique admonet, cujus causa hæc tota suscepta Oratio est. Intimare, inquam, VOBIS, quotquot sive Patrum sive Civium nostrorum, Sapientiæ pariter ac Medicinæ litantes, intus vos nosse & in Cute (quod dicitur) vultis, ANATOMEN CORPORIS MASCULINI, publicè à me per proximos hosce dies celebrandam.

Nimirum, quod *AUGUSTI & POTENTISSIMI PATRIS PATRIÆ, SERENISSIMI, dico, ELECTORIS, NUTRICII NOSTRI CLEMENTISSIMI*, Clementissimo jussu factum est, (Qui postquam Enchirises Anatomicas in celebrioribus Europæ nostræ Academiis receptissimas, cumque salute populi & studiorum Medicorum exoptatissimo incremento conjunctissimas advertisset, captantibus Nobis non ita pridem occasionem, quâ discendi ardori ac laudabili curiositati Philiatorum nostrorum satisfaceremus, benignissime annuit;) quem juvenem hodiè violento fato extinctum publicoq; subjectum supplicio, vidistis, accepistis; Eum SENATUS Inclytæ hujus Urbis Franco Vadanae, consilio & prudentia eminens, EXERCITIIS NOSTRIS Anatomicis haud gravatum submisit. Ad ea ergo spectacula, primum à Nobis in hoc Ludo & in hæc Urbe edenda, ut magno numero confluere VIRI, *Omnium Ordinum Honoratissimi*, & Conatus nostros, in stadio hoc, difficili certè & laborioso, benevolentiam sublevare vestrâ dignemini, hoc est, quod observanter Vosmet, officiosè & peramanter rogamus. Nobilissimos vero CIVES nostros illud etiam: Ut nec pro in Academiis more, privatim apud nos nomina sua profiteri hæc ipsa die, tesferamque quotidie pro admissione ostendendam, legitime comparare graventur. Ante omnia autem DEUM supplici voce poscimus: ut irriget Nos Cœlestis suæ Gratia placidis imbribus, Sanctique afflet sui Flaminis Favonio, quo tenuis ingenii agellus, cumulatis sapientiæ culmis exurgat, fructusque ex his nostris conatibus, tum Vos quidem carpatis gratisimos, sentiant aliquando agri uberrimos! Ita Valete V. H. inq; plenissimam lætitiâ mecum conspirete, quam, dum ista ob signo, ex gratisimo exoptatissimæ Famæ nuntio capesso, quod Victricia nobis Potentissimi Electoris arma, & vindicatum nuperrimis diebus Electorali Imperio *Sedinum*, prædicat. Quam Felicitatem uti AUGUSTO nostro HEROI, quâ possum, quâq; par est subditum facere, subjectissimâ devotione, gratulor; ita pro incolumitate EJUS ardentissima Vota facio. DEO. Domino Exercitium supplicans, ut Hunc nobis LIBERTATIS VINDICEM, PACIS ASSERTOREM, quàm diutissimè Valere, vivere, Imperare jubeat! P. P. d. 20. Xbr.

Anno M. DC. LXXVII.